

Majol. coll. 8. dier. Carnie. p. 1. quanquam moveri cadaver ex Dæmonis præstigio possit, aut potius apparere, ut ex se moveatur. quamobrem ubi talia in sanctis corporibus ad aliquem finem facta observantur, ex miraculo fieri non dubitandum, ut illud est, quod de eadem B. Agnere à Monte Politiano narratur, quæ diavæ Catharinæ Senensi pedem ori propius admovit, ut facilius superstes virgo illum deosculari posset. loquor autem hic de motu vero, nempe qui fiat naturali modo, non de convulsivo, de quo superius dixi; hic enim à flatuoso spiritu, vel à putredinosis vaporibus etiam in cadaveribus excitatur, ut notat Fortun. Fidel. lib. 4. rel. med. c. 1. hac quoque ratione evenit, ut carnes vituli recenter tractati (forte & aliorum quoque animalium) tremant per aliquot horas, contrahantque sese ab externi Aëris injuriis læscitæ, ut recenset eruditissimus Fortun. Licet. lib. 1. de Spont. Vivent. ori. cap. 149.

Ad hæc protitum, & od id minus admirationis in se habet quod dicitur de pilis, & unguibus in cadaveribus excrescentibus, cum tamen neutri illorum vere, & realiter crescant, sed crescere videantur ex depressione circumstantis carnis, aut cutis ex sententia Aristotelis, & Alexandri, quam cum cæterorum Philosophorum aliis opinionibus recitat Mercurialis, lib. 1. de morb. canan. cap. 3. de qua re vide Licet. lib. 1. loco citato. majorem multo admirationem haberet, dentes crescere; ut aliquando evenisse recenset Kornm. de mirac. mort. par. 3. c. 42. si modo vere crescant.

38 Liquores porro, sudores, humiditates, sanguis diu, & longe ab obitu ex cadaveribus emanantes suaverit redolentes, & in certa copia, statisque temporibus, nihil in se naturale habent, neque ullam dubitandi ansam præbere possunt, nisi quod hæc ipsa suis præstigiis facile operari potest Dæmon. sed in sanctorum corporibus nulla erit hæsitantia, unde prudentissime à Rota talia pro miraculis semper judicata sunt, & vide relationem læpe citatam super processu B. Andræ Corfinipar. 5. §. 3. in princ. Etrelas. 1. de mirac. B. Terefa, art. 4. nu. 2. post mortem, quod autem de Alexandri cadavere jaçant, nimirum insensibilem per septem dies, incorruptumque servatum, gratum odorem exspirasse, credo esse scriptorum adjunctum, qui, ut fit, non contenti narrare, quod incorruptum Alexandri cadaver servatum sit, ut audierant, addiderunt etiam illud gratum spirasse odorem, cum sufficeret ad admirationem excitandam, quod ingratum non spirasset. Nam fetor semper consequitur putredinem, odor vero contra laudabilem humorem & corporis constitutionem. imo neque naturale est odor qualiscunque. Qui gradus quoquo modo esse possit, non modo mortuorum cadaveribus, sed neque viventibus corporibus quantumcunque perfecta sanitate, & ecrasalia fruantur, unde nescio, an mendacii re-darguendus sit Card. qui de suo corpore odorem bonum perpetuo exspirare scripsit; licet hominem naturaliter posse bene olere probet Licet. lib. 4. de his, quæ diu sine alimento vivunt, cap. 8. sed hoc intelligendum forte de odore quodam corpori humano conveniente; qui non simpliciter bonus ac suavis odor dici potest, & idcirco bene idem Cardan. lib. 13. de subtil. dicebat, corpora Sanctorum, cum cætera cretant, bene olere ob id creditum est, vi Divinitatis adversus Natura decreta pugnantem. Nec tamen secundum naturam impossi-

bile est, humanum cadaver recens non male olere: at bene olere, inquam ego, est impossibile; quia bonus odor ex calore naturali in cadavere emanare non potest, quia is aut nullus, aut exiguus, ex calore autem putredinali quomodo bonus odor emanabit?

Denique videbatur aptus hic locus ad inquirendam veritatem, & causam naturalem de sanguine emanante à cadavere occiso coram occisore; sed quia magis aptus locus offerretur in tit. de Vulneribus lib. 5. seq. eo loci id ipsum rejiciam, qui autem plura mirabilia circa cadavera eventientia legere cupit, adeat Henric. Kornman. de mirac. mort. par. 4.

S V M M A R I V M.

- 1 Resurrectio secundum aliquos naturaliter fieri potest.
- 2 Assertio Ratio, qua id probari possit.
- 3 Multi qui mortui resurrexerunt.
- 4 Animalia nonnulla jam mortua aliquando resurgunt.
- 5 Resurrectio opus est miraculosum.
- 6 Quamam ratione quidam resurgere à mortuis visum sunt.
- 7 Supra terminum vitæ dicitur non videtur possibile hominibus, qui mortui videantur, ad vitam redire naturaliter.
- 8 Nonnulli multis annis dormientes.
- 9 Populi Locomoria quomodo resurgant.
- 10 Quod herbe quedam resurgere faciant falsissimum, & ridiculum.
- 11 Dæmon an possit mortua insecta ad vitam revocare.
- 12 Anima quorumcumque animalium irrationalium in morte corruptur.
- 13 Dæmon non potest idem animal numero ad vitam revocare.
- 14 Resurrectio est unius, ejusdemque numero animalium.
- 15 Nullum animal mortuum vere resurgit præter ipsam hominem.
- 16 Homo habet propriam formam à corpore segregatam.
- 17 Eundem effectum numero semel corruptum impletur posse reproduci.
- 18 Deus non potest idem animal numero irrationale duntaxat semel corruptum ad vitam revocare.
- 19 Hominis Resurrectio ex Dei virtute factibilis, bruti vero nequaquam.
- 20 Resurrectio fit per novam introductionem ejusdem anime in idem corpus.
- 21 Brutum aliquo modo resurgens non esset idem numero.
- 22 Resurrectionis opus car. naturale esse non possit.
- 23 Ex nihilo naturaliter nihil fit.
- 24 Mors est privatio vitæ.
- 25 A privatione ad habitum naturaliter non datur regressus.
- 26 Productio naturalis effectus sequitur ad proprias dispositiones introducias in id, in quo sunt.
- 27 In examine resurrectionis contingit dubitare, an vere is, qui resurrexisset presumpsit, mortuus fuerit nec ne.
- 28 Morbi, ex quorum vi homo interdum veluit mortuum apparere, cum adhuc vivat.
- 29 Aquæ submersi, strangulati, ex alto cadentes, & hujusmodi aliquando mortui videntur, cum vivunt.
- 30 Syncope est præcepti virum minima.

- 31 Syncope distinguitur à Lypothimia.
- 32 Syncope ad talem vehementiam devenire potest, ut homo mortuus appareat, non sic Lypothimia.
- 33 Aëris dictum defensum.
- 34 Syncope facti detentus non potest longo tempore supervivere.
- 35 Cor non potest magnum morbum sustinere.
- 36 In valida Syncope non est locus remedii.
- 37 Morbus, quo detinebatur Zeno Imperator, & Io. Duns Scotus non erat Syncope.
- 38 Syncope detentus si post tres dies ad vitam redeat, magis faciet resurrectionis suspicionem.
- 39 Impossibile est cum forti Syncope ultra viginti quatuor horas vivere.
- 40 Syncope dicitur quasi abscessio vitæ.
- 41 Quomodo fieri possit, ut homo absque ullo sensu & motu vivat.
- 42 Privatio respirationis est ipsa mors.
- 43 Vita non potest esse sine respiratione.
- 44 Homo respectivo ad nos tantum potest sine sensu & motu vivere.
- 45 Ultra terminum trium dierum cum morbo, qui hominem motu & sensu privat, non potest ullo modo vita supervivere.
- 46 Syncope est ipsa mors.
- 47 Mors est confirmata Syncope.
- 48 Nemo moritur absque Syncope.
- 49 Terminus suspensionis vitæ brevior esse debet in Syncope affectis.
- 50 Tres dies pro termino vitæ assignantur in morbis autonomicis, Rationem vide nu. seq. & 52.
- 53 Experimentis varie ad dignoscendum an homo mortuus sit, nec ne.
- 54 Ex quibus præcipue signis cognosci possit, an homo qui mortuus apparet, adhuc vivat, nec ne.
- 55 Vbi homo vivit, ejus oculi inveniuntur imaginem redere solent.
- 56 Homo ex morbo non periclitatur, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddant. Falsum ibi.
- 57 Fetore præsentis de morte dubium non est.

De Mortuorum Resurrectione.

QUÆSTIO XI.

Quanto intimius in miraculorum natura investiganda hæctenus penetravi, tanto promptius hominum quorundam vanitatem in illorum veritate cognoscenda, ac propalanda perspexi. Miratus antehac sum, quam facile sibi persuadeant, non inquam postremæ notæ homines, sed sapientissimi, & quibus non immerito primas in scientiis debentur communi calculo receptum est, posse quedam opera mirabilia à natura, vel à casu contingere: tamen æquo toleravi animo, quod morbos nonnullos difficiles, & verè ex miraculo sanatos, à Natura curatos fuisse, & curabiles extitisse aliter: magis me affecit, quod hominem à Natura prophetare aliquando voluerint, quod per imaginationem non modo extra mentem rapi, sed à terra etiam sublevari firmaverint. Ad mortuorum jam resurrectionem perventum erat, quam ad eam Naturæ vires superare existimabam, ut ex communi hominum consensu firmari posset id esse semper, & absque ullo dubio opus miraculosum, & ab ipsa divina potentia immediate emanans: nihil enim excogitari posse in rerum Natura credideram, quod effectum, non dico parem, sed aliqua vel minima ex parte si-

milem pronitteret, neque ullam apparentem rationem, quæ id suaderet. Tamen & in hoc ipso opere esse aliquid, quod objicere quisquis sit posset, adinveni; eo namque impudentiæ quorundam facilitatem, seu malitiosam credulitatem pervenisse comperi, ut non modo resurrectioni simile opus, sed & ipsissimam mortuorum resurrectionem à natura factibilem judicent, & si Diis placet, id etiam per simplicia quedam medicamenta fortiri posse effutiant. Sed antè hæc sequens ratio persuadere posset, Resurrectionem esse naturaliter possibilem: si enim naturaliter fit, ut animal, quod nunquam extitit in lucem, nascatur, multo facilius naturaliter erit, hominem, qui aliquando extitit, resurgere, quod enim difficilius sit ex nihilo aliquid fieri, quam ex aliquo aliquid videtur rationi consonum, & probatur ad id firmandum à Plater. in Cent. Posth. Quæst. Med. Parad. nu. 34. Præter hanc autem rationem afferuntur nonnulla exempla eorum, qui cum mortui essent, non ex miraculo, sed naturaliter fulcitati sunt. Inferam hic nonnulla eventa, quæ veritati ob eorum raritatem officere possent, alia rifu potius quam admiratione excipienda, quorum plura ex Valerio Maximo, ex Plinio, ex Cælio Rhodig. & aliis referunt Ravil. in sua offic. lib. 1. & Martin. Delr. lib. 2. disquisit. Magic. quæst. 29. Plura quoque hujusmodi exempla notatu digna habes apud Majol. dier. Can. Tom. 2. Coll. de Vatic. Ferunt Apionem Grammaticum herba Cynocephalea Ofliriti Ægyptiis appellata Homerum in vitam revocasse, auctor Plin. lib. 30. c. 2. Acilium Aviolam, & L. Lamiam in rogo revixisse narrat Val. Max. lib. 1. cap. 8. & idem Plin. lib. 7. c. 52. qui etiam de Ælio Tuberone idem refert, & de aliis nonnullis. de Soleo Plutarch. de fer. memn. Vind. meminit, qui de sublimi loco in cervicem delapsus ictu absque vulnere accepto, mortuus est, tertiaque post die sub ipsam funerationem revixit. Mirabilis est quod de Ère Pamphilio narrat Valer. Max. ubi supra, ex Platone, quod scilicet revixerit post decimam diem, qua mortuus fuerat. Narrantur & apud Medicos (ne has fabulas quis judicet) quamplurimi hujusmodi casus, quorum nonnullos vide apud Schench. lib. 1. Observat. tit. de Apoplexia, & lib. 4. tit. de suffoc. Vter sed pleraque hominum reviviscuntium historias, qui legere cupit, legat Henric. Kornman. de Mirac. mort. par. 2. per totam. Accedit his, quod de puero quodam, & de Epimenide Gnosio, seu Cretenli narrat supra citatus Plin. nempe eum dormisse annos 57. dehinc resurrexisset. Idem ex Laertio Diogene narrat Marcell. Donat. lib. 4. histor. Med. mirab. cap. 12. additque eum nunquam visum fuisse comedere. Multo majorem admirationem affert quod Sigismundus Liber in suis Moscoviæ commentariis, & ex eo Delrius memorat, homines nimirum quosdam Lucomoriæ trans flumen Obium in montibus positum sub finem mensis Novembris obdormire, seu, ut ipse Sigismundus inquit, mori, post hæc sub finem subsequenti Aprilis reviviscere. Hanc ipsam horum populorum seu fabulam, seu historiam repetit ex Francisco Citefio Medico Fortun. Licet. lib. 1. de his qui diu sine alimento vivunt, cap. 6. & Henric. Kornman. de mirac. mort. par. 2. c. 41. cum minori tamen admiratione hæc à me perfecta sunt, qui similia apud Herodotum legerim lib. 4. nescio an de eisdem populis loquatur, eos tamen sex mensibus dormire narrat. Sed & supra citatus Marcell. Donat. ubi supra refert ex quodam historico tempore Gregori XI. summi Pontificis.

Pontificis quemdam scholasticum septem annis dormivisse, excitatumque mox per vim à somno unam se noctem dormivisse sibi persuasisse. Eandem habet historiam Kornman. *de mirac. vivor. tit. de dormien. & repetit lib. de mirac. mor. par. 2. cap. 48. eumque* Lubecenlem Scholarem vocat. In Germania rusticum quemdam per totum autumnum, universamque subsequente hyemem dormivisse testatur Lil. Girald. *in histor. poet. dial. 4. ex quo reperit Torrebl. in Epi. delict. lib. 2. cap. 22. nu. 2.*

Sed ad demonstrandum Resurrectionem esse à natura factibilem adduci possunt multae experientiae in caeteris quoque animantibus, quorum multa vel ex se, vel remedijs adjuva à morte resurgere adnotantur. Circa Siciliam, inquit Arist. *de admir. aud. par. 28.* aquae stagnum inesse asserunt, in quo si quis aves, caeteraque suffocata animalia intinjerit, rursus reviviscere autumant. De Muscis, de Anguillis, de Leone, de Pellicano, & de pauca quadam avicula vide apud Martin. Delr. *ubi supra.* Muscas item, & Apus post mortem reviviscere testis est Card. *lib. 9. de Subtil. in fin.* Apes quoque oleo enectas aceto reviviscere dicunt, & quam id ratione contingat recenset Licet. *lib. 1. de spont. vivor. or. c. 39. & lib. 3. c. 54.* Addamus his nos Bombicem, quem non modo sulcitari, sed novam quoque formam capessere est notissimum, unde eleganter Vida *lib. 1. Bombicis:*

*Ite Anima egregia, fortunataeque laborum
Vivo in fata alacres, vobis namque altera fato
Corpora debentur, vobis miserata priorem
Eripere formam Venus, atque ad dulcia reddet
Lumina, & aëreas rursus revocabit in auras.*

Vermiculos quoque, & scarabeos, & plura insectorum corpora pluries mutare, ac multoties reviviscere, novaeque formas capessere, quicumque experiri volet, facile poterit, & expertus est milles solertissimus Medicus Petrus Castellus, qui & librum quoque de insectis confecit ab ipsomet effigiatum, & variis insectorum imaginibus ingeniosissime ornatum. Famulosissimum insuper est, & sanctis etiam quibusdam viris acceptum, ut Ambrosio, Nazianzeno, Eusebio, & alijs, quod de Phoenice jactatur, de qua etiam Laëtantius, & Claudianus cecinerunt, & de qua meminit quoque Herodotus *in Enterpe.* Quin & historiae, quae de Phoenice narratur non absurdum offert Cardan. *lib. 10. de subtil. de Ave Semenda nomine,* quae rostrum habet triplici ordine, atque in Elychniis undequaque perforatum. Haec cum mortura est dulce canit Cyenorum exemplo, inde collectis fermentis motu alarum ignem excitat, flammisque excitatis comburitur, & ex ejus cinere vermis, tum ex verme avis denuo nascitur.

Præterea Marcell. Donat. *lib. 4. hist. Med. mirab. c. 12. ex Martino Cromero lib. 1. hist. Polon.* narrat, in Polonia minores quosdam aves, ut hirundines, & cyphelos implicitis inter se pedibus conglobatas in lacus, & paludes, piscinalque sub hyemis initium sese immergere, nec excitari usque ad novum ver. Capi autem à piscatoribus hyberno quandoque tempore, & sine ullo sensu & motu, aut vitæ adminiculis reperiri, sed igni admotas reviviscere, licet illico ab externo ambientis frigore de novo extinguantur. Plantas quoque ipsas resurgere, & earum ligna etiam dolata reviviscere patet ex ijs, quæ recenset Theophr. *lib. 5. de caus. Plant. c. 4.* quibus adjiciam quod ex Quercetano, & Libavio comme-

morabat supra nominatus Petrus Castellus, nimirum cineres quarundam herbarum denuo ex arte reviviscere, & in sui generis plantam redire, quod de utrica præcipue narrat idem Quercetanus, ut id Castell. retulit. Multa demum naturalis resurrectionis exempla asseruntur à Levino Lemnio *lib. 1. de Occult. Nat. Mirac. cap. 14.*

Ex quibus omnibus videbatur, Resurrectionem posse aliquando merè naturaliter contingere: quæ tamen cum partim falsa sint, partim ad suas naturales causas reducibiles, & nullam ea propter in se admirationem habentia, ita ut ad ejus rei probationem nihil faciant, hæc conclusio firma sit, & inconcussa, Resurrectionem mortuorum opus esse miraculosum, & vires Naturæ creatæ adeo transcendens, ut neque simile quid ab ipsa promitti possit, & videtur ea conclusio ex sacre Scripturæ verbis deprompta, *Iob. cap. 14. vers. 12.* Homo cum dormierit non resurget, scilicet impossibile est ut naturaliter resurgat. Malvet. *de Canoniz. Sancti. dubit. 2. nu. 18.* Vnde probare non possum Tiraquelli verba *de Nobilit. cap. 3. nu. 35.* dicentis; Quid refert, utrum anima denuo in artus relictos divinitus reponatur, an penitus in corpore sepulta morbosæ victoris oppressa viribus, arte curaque Medici suscitetur atque eliciatur, jamque certo migratura retineatur? An non penè paria sunt, mortuum restituere, & mortuorum servare, ejusque animam in corporis latibulis delitescere cum ipso limine mortis revocare? Hæc Tiraquell. quæ adeo à vero longe absunt, ut non penè hæc paria non sint, sed toto cælo disparata: mortuum namque suscitare, non nisi per supernaturalem potentiam fieri potest; morituum servare, non solum à Natura, sed etiam ab Arte possibile.

Sed ne prædicta absque responsione relinquamus, dicendum primo ad id quod apponebatur, esse nempe difficilium animal quod nunquam exiit de novo in lucem prodire, quam si quando exiit resurgere, respondendum, negando hanc conclusionem, ratio negationis est, quia paria sunt non esse, & nunquam fuisse quoad novum esse, & ad id, quod in confirmationem additur, quod difficilium sit ex nihilo aliquid fieri, quæ ex alio quod aliquid, dico quod veritatem habet in via Naturæ, quia ipsa ex nihilo nihil producit, at nunquam ex nihilo ipsa creat animal; non transferenda est ergo creatio ad Naturam, sed ad divinam potentiam absolute; unde hinc deduci non potest facultatem esse resurrectionem naturaliter, quam novam animalis productionem.

Cæterum ad id, quod pertinet ad eos, quos revivisse ferunt (si post congruum tempus id factum dicant, nam de Ere Pamphilio post decem dies reviviscere fabula mera est) illos non fuisse verè mortuos, sed potius Apoplexia, vel consimili morbo devotos, ex quo è vivis cessasse apparent, cum tamen adhuc vivant, eo autem morbo discusso, manifestè vivere cernuntur, & ignorantibus, ac fatuis, idiotisque revivisse, & à mortuis suscitati existimantur, quod & ex Arist. probat Licet. *de spont. vivor. or. lib. 4. cap. 5.* at in medicina faciendâ hæc non adeo de raro eveniunt, ut multam admirationem nobis incutiant; non tamen id firmari possit quodcumque, sed congruo tantum tempore, ut dixi, nempe infra tres dies à putativa mortæ; nam supra hunc terminum difficilimum, & fortasse etiam impossibile est, hominem naturaliter reviviscere ob rationem, de

de qua infra. Vnde non sine mysterio Lazarus post quartum suscitatus est, ad insinuandum nempe omnes vitæ terminos in eo præterisse, ne dubium aliquod intercedere posset, quod non esset mortuus, sed apoplexia, aut hujusmodi aliquo morbo detentus; quin & in eo mortis manifestissima jam signa erant conspicua, scitebat enim jam, & corruptionem patiebatur.

Præterea quod à Plinio, & alijs narratur de puero per 57 annos dormiente, (nisi fabulosum, & risu dignum judicare id velis) dicendum hoc non aliter evenisse in hoc, quam in his, qui absque cibo, & potu diutissime vivunt, aut quomodocumque sit, neque hic, neque Lubecenlis. Scholaris ille erat vere mortuus, sed dormientes vivebant. Major suspicio intercedere potuit, nisi miraculum intercederet, de septem sanctis quibusdam viris, qui in persecutione Decii obdormivisse dicuntur annis 196, & somno occupatos fuisse, hinc evigilasse, seu potius resurrexerit temporibus Theodoli, si recte memini. De viris porro illis Lucumortæ trans flumen Obium quid sit dicendum docet Delrius, esse nimirum quid commentitium, ac fabulosum: & tamen, etiam si pro vera historia admittatur, non esset par ratio in resurrectione mortuorum; somnum enim hunc libentius dicerem, quam mortem, & ad insar quorundam animalium, quæ mensibus hyemalibus somno occupantur, eos populos quoque tali natura præditos dixerim, neque esset quid adeo à Natura alienum, ut omni fide indignum existimandum, stante præsertim vetustissimo ejus rei Herodoti testimonio, de quo supra confirmato nova non contentemendi auctoris attestatio.

Quod autem de herbis quibusdam recitare ausi nonnulli sunt, consultatione non eget; quod si Dæmonis opera mortuos ad vitam revocare quarundam herbarum vi aliqui videri, hoc ipsius Dæmonis præstigium fuit, non quid reale. De Leone vero, & Pellicano non habeo quid dicam, nisi quod hæc ut pleraque alia falsa credam. Insecta autem nonnulla, aut plura, & ex putri materia nascentia animalia quaedam quomodo reviviscere possunt, & quod renascentia eadem numero non sint, declarat Delrius *ubi supra,* & ex nostris Medicis Licetus *lib. 3. de spont. vivor. or. cap. 54.* ego dicerem, quod cum his calor sit pro anima, facile hic lateat in materia illa putrida, ac tenaci; dum latet autem mortua videri animalia, cum denuo calor emergit, & se ipsum detegit materiae ipsi motum communicans, animalia demum vivere conspiciuntur.

Verum in vero dubium movebat idem Delrius, utrum nempe possit Dæmon insecta, & similia imperfecta animalia, propria virtute ad vitam revocare; mihi tamen incassum dubitari de ea re videtur, si propositionem adeo restringamus, ut de resurrectione proprie sic dicta, non autem similitudinaria, & æquivoce intelligamus: nempe quod animalia ad vitam revocata eadem numero sint cum jam præmortuis, hæc enim est vera resurrectio, cujus nedum insecta, sed quæcumque animalia irrationalia quantuncumque perfecta, sunt omnino incapacia. Anima enim quoruncumque; animalium, uno excepto homine, per mortem corrumpitur, & in nihilum omnino abit, Quod si possit Dæmon idem animal numero cum eo, quod jam corruptum est, suscitare, poterit nem sua potentia facere, ut idem effectus numero semel corruptus de novo producat, quod neque per ipsam potentiam divinam est factibile, ut infra dice-

mus. Corrupta ergo priori forma, non poterit Dæmon ex materia, quam anima illa informabat, eandem formam educere, non existentibus in materia illdem dispositionibus, quæ inerant in prioris animæ educatione. Quod si novas dispositiones introducere possit (quod non inficior) novam item formam, & animam eliciat, non eandem numero cum ea, quæ materiam illam informabat. Numquam ergo poterit Dæmon idem animal numero etiam ex insectorum genere ad vitam revocare, sed materiam animam destitutam in ijs, quæ ex putri materia præcipue oriuntur de novo vivificare introducens novum calorem, & spiritum, aut animam ex novis materiae dispositionibus elicitam, Torrèblanca *in Epiom. delict. lib. 2. cap. 10. nu. ult. & lib. eod. cap. 35. nu. ult.* nunquam tamen talia insecta, aut alia quæcumque animalia sic suscitata erunt eadem numero cum jam corruptis. De Phoenice tandem quid dicam non habeo; si ullam veritatem habent, quæ de ea jactantur, non sine speciali forte Dei voluntate, & non sine aliquo occulto mysterio animal illud eo modo interire, & resurgere dixerim.

Sed jam his relictis, adnotandum venit ex Delrio ubi alias, quod cum resurrectio sit unius, ejusdemque numero animalis, nullum animal vere resurgere dici potest præter unum hominem, Meletius *de natura hominis.* hic enim suscitatus à mortuis vere est idem homo, qui ante mortem, Bald. *apud Malvet. de Canoniz. Sancti. dub. 3. n. 7. & 10. & seqq.* homo namque ita propriam formam à corpore segregatam habet, ut ab eo separari potest se exiit, & vivat, caetera vero animalia ipsi corpori habent: coherentem & annexam, ut ab eo segregari nequeat, sed materia corrupta corrumpitur & ipsa, & in nihilum abit, tanquam si nunquam in rerum Natura fuisset.

Itaque, si verum est, implicare contradictionem, eundem effectum numero semel corruptum à Deo retroduci, jam verum insimul erit, neque ipsum Deum posse idem animal numero (de brutis intelligo, non de rationalibus) cum corruptum fuerit ad vitam revocare; novam enim formam resurgere oportet ex potentia materiae, quæ eadem cum priori nunquam esse poterit. Resurrectio ergo hominis ob hæc ex virtute Dei possibilis est, bruti vero nequaquam, quia incapax est resurrectionis.

Ex dictis manifestè elicitur, Resurrectionem fieri per novam introductionem ejusdem animæ in idem corpus, quod ante mortem informabat, ita ut homo resurgens nihil à se ipso neque in temperatura, neque in ætate, neque in effigie, neque in quavis alia re mutatus existat. At Equus, Taurus, Elephas, aut aliud quodcumque animal, si ullo modo resurgere dici possunt (possunt enim improprie, si ab isdem corporibus eliciatur alia forma, introductis antea requisitis dispositionibus in materia) valde à seipsis mutata existenter, neque eadem ætate, neque eodem temperamento, neque iisdem viribus, fortasse neque eodem aspectu, neque eadem habitudine, quam ante mortem habebant, donarentur, quia omnia hæc à nova forma immutata emanarent; & in summa non esset idem numero Equus, idem Taurus, idem Elephas, qui erat prius, immo neque sibi similis, quia variantur dispositiones cadaverum à dispositionibus seminum, nisi hoc peculiariter fieret ex divina potentia, ut idem animal in omnibus appareret. Sed an aliquis alius modus sit, quo possit Deus Brutum suscitare, ut formam

à materia sejungere, & à corruptione, & annihilatione conservare, hoc ego Theologis dijudicandum relinquam: illud fati sit, quod cum brutum fuerit mortuum, simpliciter loquendo nullo modo poterit suscitari.

22. Ex his insuper patere potest, cur resurrectionis opus à natura esse non possit; in brutis enim (ultra rationem, quæ militat in homine, de qua infra) jam diximus esse impossibile, quia eorum forma corrumpitur, & in nihil abit, naturaliter autem ex nihilo nihil fit, ut ex Philosopho notat inter Canonicas Roderic. *Quæst. Canonice. & Regul. quæst. 1. r. artic. 2. Tom. 3.* Quod enim non est non generatur, cum non sit unde generetur. Hippocr. 1. *de vit. ratione.* in homine autem patet, quia Mors est privatio vitæ, & à privatione ad habitum naturaliter non datur regressus, ut protritum in Philosophia est. Aristotel. 5. *Physicæ.* & inter Iureconsultos notat Malvet. *de Canonizat. Sanctior. dubio 3. num. 53.* quibus adde, quod cum naturaliter productio naturalis alicujus effectus sequatur ad proprias dispositiones introductas in id, in quo fiunt, jam sequitur, quod cum in cadaveribus non solum non adsint illæ dispositiones, quæ requiruntur ad novam vitam in materiam introducendam, sed potius his contrariæ, nullo modo naturaliter fieri poterit vera resurrectio. quæ ad novam vitam consequitur.

Cæterum quia contingit in examine hujus miraculi dubitare, an vere is, qui resurrectisse presumitur, mortuus vere esset, nec ne, idcirco quatuor puncta jam nobis discutienda veniunt: quorum primum est, ut enarremus eos morbos, ex quibus homines interdum contingit ita affici, ut omnino pro mortuis judicari possint, hinc morbo discusso à morte suscitati. Secundum, an possit homo absque ullo sensu & motu vivere, ita ut à verè mortuo nequaquam discerni possit. Tertium, qualis esse possit in eo morborum status vitæ terminus, nimirum quot diebus homo vivere adhuc præsumi possit, motu & sensu jam orbatus. Quartum, quibus potioribus signis distingui possint aliquo morbo detenti ab his, qui jam vere à vita excesserunt.

28. Et circa primum dicendum, tres præcipue morbos esse, in quibus solet homo aliquando absque ullo sensu & motu permanere, & mortuo simillimus apparere, hos esse apoplexiam, syncopiam, uteri suffocationem. Verum ad apoplexiam revoco epilepsiam, quandoquocumque ita gravis fuerit, ut ab eadem apoplexia etiam forti distingui non possit, quemadmodum aliquando evenire dixi alias *lib. 2. harum quæstionum tit. 1. quæst. 14. num. 16.* Ad apoplexiam item revoco suffocationem ex aqua, quia licet vulgo perusum sit, aqua submersos ex eo, quod multum aquæ hauriant, perire; tamen suffocari potius ipsos constar, quod respirare non possunt, ut probat Plater. *Quæst. Medicæ. Paradox. Centur. Post. num. 55.* ad eundem morbum revoco suffocationem ex laqueo; nonnulli enim, cum per plures horas suspensi pependissent, & eorum corpora aut respilonibus, ut sepulchris conderentur tradita essent, aut Anatomicis dissecta, inter opus reviderunt: lege, si libet, Marcell. Donat. *de histor. Medicæ. mirabil. lib. ult. cap. 9.* & alia exempla mirabilia apud Schench. *Observat. lib. 2. tit. de suffocat.* ad eandem apoplexiam revocandi qui ex carbonum fumo strangulantur, ut is evenit, de quibus Paræus in *tractat. de Remission. & aliis apud Schench.*

ubi supra. ad eundem affectum revocanda suffocatio ex ebrietate, ex vapore vini, aut cerevisiæ, cum ebulliunt, ex fulminis ictu, ex cerebri percussione, & concussione, ut in iis, qui ex alto cadunt; ex aëre item corrupto expirante ex cavernis, puteis, subterraneis locis, ex fossis in quibus frumenta asservantur, & cloacis, sentinis, & hujusmodi. Hæc etiam revocanda suffocatio ex fumo Mercenii, Arsenici, & similibus medicamentorum, cui maxime obnoxii sunt Argentarii, & qui ex morbo Gallico aut inunguntur, aut suffumigantur. Ac denique hoc revocanda suffocatio, vel animi defectus ex peste; multi enim ob tetrum corruptumque vaporem pestilentem animo linquntur atque deficiunt, ut omnino mortui appareant, cum tamen adhuc vivant, de qua re vide nonnullas observationes scitu dignas apud Guillelmum Fabric. *centur. 2. observ. 95. & seq.* in omnibus enim commemoratis casibus, hique similibus homines apoplectici vere fiunt, aut illis similes, & ab iis, quatenus ad rem nostram pertinet nequaquam distinguendi; nam & aliqui eorum, qui aliquo ex his modis afficiuntur suffocantur, aliquando post duos aut tres dies ad vitam revocantur: de quibus omnibus exempla vide apud Schench. *loco citato, & lib. 1. Observat. titulo de Apoplexia, & apud Dominic. Terril. libro de causis, repens. mort. sect. 6. cap. 6.* peculiariter autem de suffocatis; aut de aqua submersis Alexand. Bened. *lib. 10. cap. 9.* quibus maxime animam advertere debet lector humanissimus, præcipue si medicinam minime caller, cum facillime his, qui ejus artis expertes sunt imponi possit, hominem aqua submersum, aut laqueo suspensum, aut qui ex alto ceciderit, aut aliquod eorum quæ commemoravi expertus sit, omnino fuisse mortuum, præsertim si per unum aut alterum diem nullam vitæ significationem præbuerit, & absque sensu, absque motu, absque respiratione apparerit. Is ergo si ad vitam redeat, diffidillime persuaderi, quilibet sit, poterit, illum non resurrectisse, quia mortuus omnino existimabatur, cum tamen re vera apoplexia detineretur, & adhuc viveret. Sunt ergo omnes supradicti casus ad apoplexiam reducendi, & quæcunque de apoplecticiis dicuntur, iis etiam applicanda, quemadmodum applicari etiam possent syderatis, seu attonitis, congelatis, caroticis, catalepticis, lethargicis, & hujusmodi, quamquam hi morbi nunquam ad tantam vehementiam perveniunt, ut homines omnino sensu & motu destituti appareant; patet enim hos universos integram habere respirationem, & faciem servare sibi ipsis viventibus simillimam, quæ duo signa facillime, nulloque negotio possunt illos à vere mortuis discernere. Non est ergo quod inter priores morbos apoplecticos, hos quoque adnumeremus, quamquam id præstitit Martin. Delrius *ubi supra*, de quo circa hoc particulare non curandum.

Porro syncopis est præceps virum lapsus, & 30 ruina, Galen. 12. *Method. Meden. cap. 5.* & inter Iureconsultos ex eodem Galen. Augustinus Barbofa in *collect. doct. lib. 3. tit. 41. cap. 9. num. 10. Tom. 1.* sed de syncopi illud admonendum, quod alias *lib. 2. quæst. 19. num. 4.* admoneram, nimirum eam distingui à lipothymia, & ab animi deliquio secundum magis, & minus, & alio etiam ex Capite: nam Mercatus *lib. 2. de Intern. morb. curat. cap. 10.* voluit non pertinere utrumque morbum ad

ad eandem partem, sed animi deliquium, & lipothymiam ad cerebrum, syncopen vero ad cor, & syncopen includere animi deliquium, non tamen è contra, quia in syncope omnes facultates concidere dicebat, non unam tantum, ut in animi deliquio. Vnde est, quod syncopis potest quidem ad eam vehementiam pervenire, ut sensu & motu omnino privatum repræsentet, & mortuo similem efficiat, at lipothymia, & animi deliquium id non potest. Capivacc. *comm. Aph. 1. 24.* nam ut Iacchius testatur in *nonum ad Almanf. cap. 21.* multi à mortuis nihil differunt: qui duo affectus ob minorem, aut majorem tantum symptomatis gravitatem inter se differunt. Porro male syncopis, & lipothymia confunduntur, quod tamen fecit Delrius *loco citato*, quod notatur à Medicis omnibus. Fernel. 2. *Method. cap. 10.* Amat. Lusitan. *Centur. 3. curat. 31. in schol. Altimar. de meden. humani corpor. mal. cap. 55.* Rioli. in *Meth. part. cap. 15. sect. 2.* Capivacc. *ubi supra.* Massaria *libro 2. Pract. cap. 9.* Iacchin. in *nonum ad Almanf. ubi supra.* Mercurial. *pract. lib. 2. capite item 9.* Holler. *lib. 1. de morb. int. cap. 30.* Forest. *lib. 17. Observat. 7. in schol.* Eiusdem quoque erroris cum Delrio notatur à Massaria ubi proxime recentiorum nonnulli, qui tamen nescio cur Actium ejus erroris redarguat, quod *cap. 101. serm. 5.* hæc dixerit. Differt autem animi deliquium (quod supra lipothymiam vocari dixerat) à syncope, quod animi deliquium de repente incidat, sensu, & motu hominem privans, & omnino non sudans: syncope vero & vigilantes, & dormientes invadit, & omnino cum sudoribus, qui syncopici appellari solent. Actius ergo unum symptomata ab alio distinguit, licet fortasse ea differentia, quam ille assert, aliis non sit undequaque accepta.

Sed his relictis admonendum præterea est, nullatenus fieri posse, ut forti syncopi detentus longo tempore vivat; afficit enim in hac passione mirum in modum ipsum cor principaliter, quod non potest magnum morbum sustinere ad longum maxime tempus, morbi enim cordis statim, atque inceperint, hominem jugulant, Galeno teste 5. *de loc. aff. cap. 2.* præcipue vero ipsa syncope, ut idem tradit *comment. 2. Aphor. 41.* longum autem tempus in hoc casu intelligo, quod pertransit spatium vigintiquatuor horarum: idcirco namque à Paulo *lib. 3. cap. 34.* cui & assentiuntur alii, ut Piso *sue pract. lib. 2. cap. 12.* dicebatur, in valida syncopi non esse locum remediis, & hoc non nisi ob celeritatem interrimendi, eademque ex causa dicebatur à Rabi Moysi 6. *Aphor. 7.* & ab Aretæo *lib. 2. cap. 3.* totum ingenium Medici debere esse in hoc affectu prævidendo, & præcavendo, annunciandoque; qui enim illum non prævidet, nec præcavet, aut periculum non prædicat, mortui hominis reus est, & in summa syncopen aut statim interficere, aut nocte sequenti, nunquam autem ultra biduum extendi testatur ex recentioribus Celsipinus *lib. 6. Art. Medicæ. cap. 22.* Hinc patet, morbum, quod detinebatur, ac quo sæpe sapius corripiebatur Ioannes Duns Scotus, non fuisse syncopen, ut ex Iovii autoritate voluit Delrius *ubi alias*, sed potius apoplexiam, vel fortem epilepsiam, non enim syncopen tanto tempore sustinisset: neque similiter Zenonem imperatorem syncope detentum fuisse crediderim, cum omni sensu amisso, sepulchro mandatus est, in quo inventus fuit præ fame suos ipse lacertos, caligafque, quas gesta-

bat, commanducasse, ut recenset ex Baronio Kornman. *de mirac. mort. part. 7. cap. 59.*

Ex his igitur eliciendum videtur, quod si constaret hominem syncopi valida, & gravissima detentum post duos aut tres dies revivisse, majorem multo faceret miraculi suspicionem, quam si apoplexia, vel consimili morbo, vel uteri suffocatione detentus fuisset, quia, ut dixi, impossibile est cum 39 forti syncopi ultra vigintiquatuor horas perdurare; adeo enim in occidendo is morbus est, ut idcirco 40 syncopa dicatur, hoc est abscessio vitæ, ut prædicti Medici adnotant. Altomar. *cap. 55.* & ex Iureconsultis Augustinus Barbofa in *collect. doct. lib. 3. titulo 11. cap. 9. num. 16. Tomo primo*, & summa cum ratione à Græcis Oxyntona morbus hic dicitur, nimirum cito jugulans, teste Aret. *lib. 2. Acut. capite 3.*

Tertius morbus ex quo homo tanquam mortuus 41 aliquando apparet, nullo sensu aut motu, imo ne respiratione quidem vivere se manifestans, foeminarum proprius est, & est, ut dixi, suffocatio ex utero, ex quo morbo tam sopita inventæ sunt nonnullæ, tamquam à vita alienatæ, ut tanquam mortuæ sepulchris sint demandatæ, quin & earum aliquæ utero gerentes in ipsis sepulchris pepererunt; eamque ob rem non omnino fabulosam existimavi historiam à Boccacio recentitam in *Decam. die 10. fabella quarta*, quin & alias historias huic similes, & multo forte admirabiliores legere conceditur recollectas per Schenckium *lib. 4. Observat. tit. de uteri suffocat.* inter quas illa præ omnibus notabilis, quæ de nobili muliere narrat, quod simili morbo mortua jam credebatur, ad quam dissectam vocatus insignis quidam Medicus, celeberrimusque Anatomicus, ad secundam adactæ novaculæ impressiorem, illa motu, & clamore vivam se manifestavit, cum tanto ejus Medici dedecore, ut eo mærore confectus non multo post obierit. Itaque coniectum esse, etiam in iis mulieribus, quæ ex utero suffocantur, septuaginta duas horas, non minus quam in iis, qui apoplexia moriuntur, expectare, antequam sepultura tradantur, ut notat Alex. Bened. *sue pract. lib. 10. cap. 10.* & Daniel Sennert. *lib. 4. pract. par. 2. sect. 3. cap. 4.*

Sed in hoc morbo hoc præcipue, quod ad rem nostram facere potest, adnotandum; nempe eas, quæ ex utero suffocantur, non semper eodem modo suffocari, quia interdum, ut notat idem Sennert. *loco cit.* in iis afficitur cor, & hoc pacto in syncopen labuntur, & sic aut mortuæ apparent, aut vere moriuntur; alias autem fiunt epilepticæ, quin etiam interdum fiunt apoplecticæ, & veluti apoplecticæ jacentes, eodem modo dubium de earum morte excitant. Hæc autem differentia symptomatum inde enascitur, quod vapores tetri, ac maligni, seu venenata illa aura, quæ vel ex mensuris retentis, ac corruptis, vel ex similibus humoribus, vel etiam ex retento, & corrupto spermate elevatur, modo hanc modo illam partem feriunt, & labefaciunt, non vero semper unam eandemque: unde, si cor petant, syncopen excitant; si vero cerebrum ejusque ventriculum, epilepsiam, & apoplexiam; quamobrem ubi suffocata ex utero mulier mortua diceretur, ac deinceps resurrectisse, probandum esset per Medicos, qui eam curassent, aut quomodocumque præsentis fuissent, an syncopi, vel apoplexia mortua esset, & de signis maxime esset investigandum, cum promptius admitti possit miraculum, ubi syncopi 42

mulier detenta post tres dies resurrexisset, quam si apoplexia percussa post tantundem temporis ad vitam fuisset revocata, ob rationem, de qua superius mentionem habui, nimirum, quod difficillime, immo etiam impossibile sit, syncopi detentam per tres dies supervivisse, non sic autem detentam Apoplexia, cum in syncopi confertum, ac subito meliores spiritus evanescent, & ipsam cor vitae fons tantopere patiatur.

Circa secundam dubitationem, in qua quaeritur, quomodo fieri possit, ut homo absque ullo sensu, & motu etiam ipsius pulsus, & respirationis vivat, dicendum, hoc simpliciter, & realiter nequaquam possibile esse, quia privatio respirationis est ipsa mors. Aver. 3. *Collig. cap. 39.* neque potest esse vita sine respiratione, nec consequenter sine motu, neque respiratio sine vita, Galen. 6. *de loc. aff. cap. 5. class. 4. Valsc. lib. 3. Philon. cap. 14. Gordon. in Lilio parte 7. capite 10. Altomar. pract. capite 110. Malfaria pract. lib. 2. cap. 9. Fortun. Fidel. lib. 4. rel. Med. cap. 1. adeo ut spiratio, & vita convertantur, cum spirantem non vivere, aut viventem non spirare sit impossibile. Gal. *ubi supra.* Mercat. *de Intern. morb. curat. lib. 1. c. 13.* Hieronym. Fabrit. *lib. 1. de Resp. cap. 1.* sed si libet, vide de hac quaestione *Claudin. in Resp. Med. 14. & Daniel Sennert. lib. 4. pract. p. 2. sect. 3. cap. 4.* Aliqui ergo non assequentes sensu, apoplecticos, suffocatos, syncopizantes, & huiusmodi respirare, dixerunt in illis servari tantummodo transpirationem, quam sufficientem esse volunt ad vitam utcumque conservandam. Respective ergo ad nos, & sensum nostrum homo potest absque ullo sensu, & motu etiam pulsus, & respirationis vivere, ita ut à vere mortuo vix, ac ne vix quidem dignosci valeat, sic enim concludunt auctores omnes supracitati, & alii, quos recensere est supervacaneum.*

Circa tertium dicendum videtur, quod ultra terminum trium dierum, cum tanto morbo, qui hominem quoad nos sensu, & motu privet, vitam esse superstitem pro impossibili sit existimandum, & hoc dico universaliter loquendo de omnibus praedictis morbis, quia si ad particulares casus deveniamus, de syncopi aliter sentiendum, ut supra innuimus, terminumque breviorum circumscribendum censio, quia syncopis est ipsa mors, dicitur enim dissolutio nexus Naturae ab Aetæo, unde convertuntur mors, & syncopis, cum utraque dissolutio nexus Naturae sit, & syncopis nil aliud sit quam principium mortis, mors autem nihil aliud quam terminus syncopis, seu syncopis confirmata, Gerard. Cremonen. ex quo Valsc. *ubi supra.* unde bene idem Valsc. & cum eo Duret in *Holler. pract. lib. 1. c. 30. in annotat.* neminem mori dixerunt absque syncopi, ita ut quamvis fortis apoplexia, & quaelibet suffocatio, etiam ex utero tanti morbi existant; non occidunt tamen nisi superveniente syncopi, ex qua dissolvitur tandem nexus Naturae, & animal interit.

Ex quibus multò magis roboratur allata opinio, quod nimirum breviorum terminum assignare debeamus in syncopi affectis, ut pro mortuis habeantur, quam in iis, qui Apoplexia, aut consimili morbo detinentur. Quid autem differat, & ex quibus potissimum dignoscatur syncopis à cæteris illis morbis, Medici optime noverunt, quorum testimonia in particularibus adhibenda. Duo tamen sunt praecipue, sudores frigidi in ipsa accessione syncopi,

qui in aliis morbis non comparent, & recedat post accessionem, quæ in apoplecticis, & consimilibus abest. In cæteris ergo morbis tres dies pro termino vivendi assignantur ab omnibus. Avic. *part. 3. tractat. 5. capite 12. Valsc. libro primo Philonis capite 19. in clarif. Savonarol. in pract. magn. capite primo, in dub. de Apoplex. & ibid. rub. 10. Paschal. libro primo, pract. cap. 13. in fin. Fontanon. Pract. libro primo, capite 16. Lemnius de occult. nat. mirac. lib. 2. capite tertio. Celsalpin. Art. Medic. lib. 5. cap. 34. Mercurial. pract. libro 1. capite 19. Dominic. Terill. *de causis. repenti. mori. sect. 6. capite 2. & alii.* Rationem ejus termini esse voluerunt omnes, humorum motum, tanto enim, inquant, spatio, nempe horis 72, omnes humores suum motum habent, itaque si humores immotijam consistant, mortis signum est exploratissimum; cum eorum enim motu signa vitæ manifesta apparent. Ego quicquid sit dicendum de huiusmodi humorum motu, non aliam causam agnosco, nisi difficultatem, & impossibilitatem ulterius protrahendi vitam cum tam sævo, ac tam valido morbo, ob quam etiam supervacaneam putat eam tridui expectationem Fortunat. Fidel. lib. 4. *Relat. Medic. cap. 1.* quæ tamen omnino esse observanda ob varios successus, de quibus perique ex supra citatis.*

Circa quartum denique, admirationem quidem præbere potest illud, quod Democritum proposuisse narrat Celsus *suæ Medic. lib. 2. cap. 6.* nimirum, ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse, quibus Medici credidissent; itaque si etiam mortui hominis signa conjecturalia sunt, possunt nos aliquando decipere, & vivum pro mortuo, mortuum vero pro vivo nobis imponere, quamobrem non debet hominum vulgus Medicos peritos desiderare, si nonnulla circa eos qui mortui putantur, aut verè mortui sunt, machinantur, ut eos deprehendant, an vita adhuc supersint, nec ne. Itaque Medici cum Galeno loco citato ad nonnulla experimenta consurgunt ad dignoscendum, an homo vere mortuus sit, vel adhuc vitæ aliquam portunculam conservet. Gossippii, seu lanæ tenuissimæ cartæ flocculum, vel accensam candelam ori jacentis admovent, & ex motu, vel immobilitate flocculi, vel candelæ vitæ, aut mortem deprehendi volunt: vel cyathum aqua plenum super ægri pectus imponunt, & ex ejus similiter motu vitam explorant, sed has experientias tanquam minus tutas respuit, & parvipendit Hollerius *lib. 1. pract. cap. 59.* Alii speculum tenuissimum ori admovent, quod si infici, & offuscari deprehendant, vivere adhuc ægrotantem dicunt, sin minus jam è vivis excessisse. Tutior fortasse hæc, non omni tamen ex parte, optassem, ut alia signa, & tutiora experimenta, si fieri potuissent, adduxissent, sed ultra prædicta ne verbum quidem. Fortasse quia neque alia supererant experientia, & signa quæcumque recenseri poterant, minus tuta animadvertent.

Quomodo cumque sit nonnulla ego hinc inde excerpta subdam, quæ considerata majorem, & evidentiorum ejus rei cognitionem facere possunt.

Consideranda itaque ante omnia propono accidentia ipsius morbi, quo vel detinetur, vel ex quo decessisse præsumitur ægrotus: si enim ea fortissima fuerint, ac validissima, & ex eorum numero, quæ magis exitalia judicantur, de vita, quantum est ex hoc modica, aut nulla spes est: ut si syncopis absque ulla causa manifesta adveniat, atque illico æger omni motu, & sensu etiam pulsus, & respirationis desti-

destitutus appareat cum faciei lividitate, cum tenui, ac frigido sudore, pallore, & intensâ partium frigiditate: maxime si antea solebat ægrotus frequenter, ac fortiter absque causa manifesta exsolvî, nam juxta Hippocrat. *dogmat. 2. Aphor. 41.* tales derepente moriuntur.

Contrarium tamen his videtur sentire Mercatus *lib. 1. de Intern. morb. curat. cap. 13.* quippe qui docens quando de morte apoplectici certi esse debeamus, quando vero dubii, dicat, quod si in apoplexia illico simul adveniat syncopis, quod ex respirationis omnimoda abolitione deprehendimus, tunc debeamus expectare, ac dubitare de morte; quod si syncopis paulatim adveniens dehinc ita crescat, ut homo amplius non respiret, tunc mortem esse præsentem credendum est, ac prudenter quidem hæc admonet. Cæterum in quacunque suffocatione spuma in ore apparuerit, de morte dehinc major certitudo erit, de his enim dicebat Hippocrat. 2. *Aphor. 43.* quod non amplius in vitam revocantur, & licet hoc secundum plurimum, & non semper veritatem habeat, ut Galenus in *commento*, & alii multi docent, illud tamen satis est, hoc esse signum exitialissimum, & quo apparente perpauci à morte evadunt, & junctum maxime respirationis deperditioni, seu totali ejus abscissione, aliisque sævissimis symptomatibus, fortissimam apoplexiam, & suffocationem demonstrat, ex qua ægros necessario quamprimum perire contingat, immo neque ad tertium usque diem perdurare docet experientia, & adnotant auctores omnes Holler. *lib. 1. de morb. int. cap. 7. in Schol. Pilo de morb. cognosc. & curat. lib. 1. cap. 16. & alii.* Si præterea facies apparuerit livida, & nigricans, aut viridis mortis signum. Raf. 16. *contin. tractat. 1. cap. 1. Avic. 11. 3. tractat. 2. cap. 6. in fin.* tales enim calor suffocati, & extincti jam omnino certum præbet inditium. Si item præter multa experta ad excitandum ægrotum, sternutatoria naribus applicata fuerint, & ille non sternutaverit omnium consensu pro mortuo judicandus, Gordon. *in Lilio par. 3. cap. 12. Valsc. Philon. lib. 3. cap. 4. Savonarol. in pract. magn. cap. 22. rubrica 3. Pilo lib. 2. cap. 12.* id enim consopitum, immo omnino extinctam omnem virtutem denotat, quæ si quantumvis exilis adhuc vigeret, ad sternutatorii irritationem expergisceretur, cum maxime hoc medicamento genus primum ipsum sensorium, & virtutum pene omnium sensibilibus promptuarium valide stimulare possit. Præter hæc autem membra in mor-

tuo rigida eradunt, nullo modo flexibilia, squallor item, ac siccitas quædam membrorum adnotatur, quæ etiam in iis, qui adhuc etiam vivunt appareant, non tamen adeo conspicua sunt.

Postremo oculi veniunt considerandi, ubi enim homo vivit, quantumvis exilis vita remaneat, oculi tantisper fulgere, & intuentium imaginem reddere solent; non enim verum crediderim quod Plinius *lib. 27. cap. 6.* firmat, hominem scilicet ex morbo non periclitari quandiu oculorum pupillæ intuentium imaginem reddant, quasi cum moriturus est, id non contingat; si qui enim adhuc spiritus vitæ remanserint, si facillime per oculos, partem nempe lucidissimam, ac diaphanam apparent, & è cerebro quamdiu homo vivit semper luminosus spiritus in oculos proficiscitur. Galen. *comment. 4. in 3. Epid. tex. 28.* at ubi nulla vitæ spes superest, oculi jam omnino offuscati, ac veluti panno quodam obducti, spiritibusque extinctis nullam evidentem saltem reddunt intuentium imaginem.

His accedit unum aut alterum infallibile mortis signum, partium nempe, aut partis alicujus livor, & æstus cadaveris, & fetor ex ipsius jam putredine ortum ducens: est enim fetor proprium putredinis accideus. Galen. *in primum prognost. comment. ultimo tex 42.* quo præsentem, dubio absque dubio non est locus, ut in Lazaro. quæ duo signa expectari desiderat Mercat. *loco supra citato.* Libet denique adnotare hic Perlarum morem, de quo Herodot. *in Clio non longe à fin.* hi mortuum non antè humari permittunt, quam aut ab alite, aut à cane trahatur. Hoc existimari illos ideo facere, quod ex nullis aliis signis possit haberi mortis certitudo, nisi cum Alites, & Canes fetore allecti è cadavere expirante ad illud accurrunt.

Antequam ergo certe de resurrectione quid pronuntiemus, de signis prædictis mortis constare optime debet, tunc enim resurrectionis miraculum, quod est inter alia maximum, evidenter erit probatum.

Atque hæc de miraculis dicta sufficiant, de quibus multa data opera omisi, partim quod ab auctoribus à me in tractatu hoc citatis, & ab aliis luculenter tradita sunt, partim quod ad Medici pensum facere nihil existimaverim. Alia, Deo concedente, ac per multa quidem in libris de S. Scripturæ miraculis afferre non pigebit, in quibus omnia prolixius, ac magis Philosophicè discutiam.

PAVLI ZACCHIE

Medici Romani,

QVÆSTIONVM

MEDICO-LEGALIVM

LIBRI QVARTI

TITVLVS SECVNDVS.

De Virginitate, & Stupro.

Continens Quæstiones quinque;
quarum

- I. *Virginitas proprie quid sit, & an ex certis signis cognosci possit.* 251
- II. *De minus fallacibus notis, ac conjecturis Virginitatis.* 254
- III. *De signis violatæ Virginitatis* 256
- IV. *De tempore nubendi in Virginibus.* 258
- V. *Constuprati pueri signa.* 259

Admo-